
PRAEFATIO.

Quatuor fere abhinc annis, quum minorem Sophoclis editionem Erfurdcius meditaretur, natum mihi consilium est, simili modo Euripidis editionem, quae parvo parabilis esset, curare. Atque quum fabulam, quam primam ederem, Troadas elegissem, quod ex illarum ea est numero, quae seorsum haberi non possunt, illico opus aggrediebar, ita vt iam ante hos tres annos trecenti huius fabulae versus a typographo describerentur. Sed breui post, secus atque speraueram, ab instituto opere auocatus, non prius, quam hoc ipso anno, sepositum repetere potui. Hinc veniam dabunt lectores, vbi in fabulae initio nonnulla deprehenderit, quae